

184 CASP. BARTHOL. l. 2.

Ideoque *Templorum Tibicines* dicuntur apud *Ful. Firmicum* lib. 4. cap. 7. Et *Tibicines sacrorum* apud *Gellium* lib. 1. cap. 12. Inter ministros Sacerdotum numerantur à *Rosino* *Antiq. Rom.* lib. 3. cap. 31. Imò ipsos Sacerdotes pro Tibicinibus sumptos non obscure elici posse videtur ex eleganti apud *Gruterum* *Inscriptione*, pag. 30. ubi *Sacerdotis Tibicinis Albi Verini* mentio fit.

Cum Tibicines ab uno sacrificante ad alium, qui etiam rem divinam faceret, transfirent, proverbium ortum est: *Transfire Tibicinis Latini modo*, quo *Cicero* utitur pro *Muræna*. Nam Romani in suis sacrificiis Latinis plerumque Tibicinibus usi sunt. Græci tamen meminit *Varro* lib. 3. de R. R. *Sed non in Italia quos tibi sacrificanti ad tibicinem Græcum gregatim venisse dicebas ad extremum litus.*

Prisca religione observatum jus fuit Tibicinum in æde vescendi, eorum nempe, qui sacris inservierunt. De qua re insignis apud *Livium* historia legitur